

lib. memb. 3. inquit: *Observeretur; cogitationes aliquando pertinere ad peccatum originale, ut cum tantum sunt suggestiones: aliquando ad peccatum actuale quando scilicet significant deliberationem seu propositum.* Hæc ille, undè falsiloquium Bellarmini satis apertè elucet. Conferatur Apologia Aug. Confess. art. 2.

34. Quibus quasi in transcurso positus confectariis; jam argumentum II. adduco, sumptum à speciebus peccati activi, seu actualis, laxè dicti. Syllogismus esto talis: *In quos infantes cadunt species peccati activi, in illos cadit peccatum actuale, latè acceptum; quia affirmatis speciebus, genus non negandum, sed affirmandum est. Atqui in infantes cadunt species peccati activi. E.*

35. Ass. probo ab inductione, Quia. I. *Ira rancida cadit in infantes.* Aug. Tom. I. lib. I. confess. c. 2. p. 30. inquit: *Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium. Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum: certè ejusmodi pravitas non est aliunde, nisi à malo isto, quod manet post baptismum reliquum.* Hæc ille. Et Piccol. grad. I. Philos. pract. c. 31. pueris ante usum rationis etiam iram tribuit. 2. *Peccata omissionis in affectata, h. e. cum deliberatione nondum conjuncta, sunt in infantibus.* Turpiter enim errat Bellar. l. 5. de amiss. grat. & statu peccat. c. 4. scribens, *quòd absurdissimum sit, infantes habere peccatum actuale, saltem omissionis: siquidem, ut paulò ante dixerat, infantes non teneantur fidem & timorem Dei actu habere, cum isti actus rationis usum requirant, quo infantes careant.*

36. Cui Resp. I. Esse per se perspicuum, quòd infantes nunquam vel nondum circumcisi in V. T. & nunquam vel nondum baptizati in N. T. non habeant (si ordinem à Deo nobis præscriptum respiciamus) fidem & dilectionem Dei, imò nullum motum *spiritualiter* bonum; quia non habent Spiritum S. in ipsis gratiosè habitantem: utpote quem per Sacramentum initiationis demum accipiunt. Ubi cum Papistis objicias, quòd *sine metu & dilectione Dei, & sine fide esse, culpa sit actualis.* Ideoque non pertineat ad peccatum originale. Resp. distinguendo inter carentiam *potentie* confidendi Deo, eumque filialiter diligendi, timendi, colendi; & inter carentiam ipsius *actus.* *Illà* pertinet ad quidditatem peccati originalis; *hec* verò (actus carentia) pertinet ad peccatum actuale, strictè dictum, si sc. sit vacuitas & absentia actus *præelectivi*; si verò est omissio & privatio actus filialiter

liter